



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 97. Dixit illi Iesus: tu dixisti. v. 64.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**D**omine Iesu procul hæc cogitatio à me facessat, ut velim inducere matrum super proximum quouis modo, sed hanc gratiam mihi Deus addat ut ad omne bonum proximum alliciam, prædicando, exhortando, suadendo, splendorem virtutum & præmia ostendendo, ut laudetur semper Deus Deorum in Sion.

§. 96. *Adiuro te per Deum vivum ut nobis edicas, si tu es Christus filius Dei. v. 63.*

Caipham permouit ad hanc adiurationem & quæstionem. 1. obfirmatum Christi silentium utpote, ex quo nullam poterat sumere occasionem condemnandi Christum. 2. insufficientia testimoniorum, quæ allata erant, unde ipsemet suo ingenio & arte Actor fieri incipit, quæstionem proponit, quæ infallibiliter eum capiat vel respondentem vel tacentem, nam si adiuratus per Deum vivum non loquatur, in Deum est contumax cui deferre nolit; si loquatur & dicat non sum F. Dei, habet Caiphas intentum, nempe negantem quod alias asseruerat; si dicat ita: blasphemix reus erit: proponit igitur num sit Christus filius Dei vivi. Hic enim omnis odij fons in Christum quod pauper & plebeius cum æstimaretur, pro Messia tamen, quem illi opulentum & potentem expectabant: nec non pro filio Dei se confiteretur. Quid ad hæc dicēs; ò Christe? si asseras te esse Christum, reum te læsæ Maiestatis dicent, tum ex parte Cæsaris quem solum agnoscunt Regem, tum ex parte Messia quem adhuc venturum expectant: si insuper Dei filium, blasphemum te clamabunt, ponentem plures Deos. Negas? in promptu testes aderunt quibus conuincaris quod pro Christo gesseris te & Dei filium dixeris. Vndique insidiæ.

**D**omine, absit à me obsecro omni tempore, ut velim ob quamcumque causam adiurare proximum, maxime ad circumueniendum eum. Cum non deceat, ut qui vult secundum Euangelium viuere, adiuret alterum: sed nec ad iuramentum, nisi graui de causa Iudicibus probata, præstandum: Quod si res ita postulet, ut ad rei magni momenti cognoscendam veritatem, aut auertendum malum, iuramento sit opus, jurem verum, necessarium, & reuerenter; & si alios adiurem id præstem juxta Ecclesiæ sanctæ Dei præscripta, ad gloriam Dei & bonum publicum, ut minister Ecclesiæ.

§. 97. *Dixit illi Iesus: tu dixisti. v. 64.*

Ecce nunc respondet Iesus, sed mirabili loquendi forma plena sapientia, plena virtute: prætendit Pontifex scire an ipse corâ stans esset Christus filius Dei



Dei, & Respondet ei: *Tu dixisti*, quid est hoc? quantum capio, quantum sapio, multum dicit, sic loquendo Dominus meus Iesus; nam iste Caiphas ipse est, qui nuper dixerat, *Expediit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat*: ipse est qui figuratiuum gerens pontificatum modo contra Leges omnes Pontificias & decorum, sedem suam deseruit, assurrexit vero Pontifici nostro Christo, quid igitur mirum si Christus ei sic responderet. Tu dixisti. O Christe Rex & Pontifex æterne bonam confessionem confessus es; iam venerat hora qua te aperte sub contestatione diuini nominis mundo palam proderes, quis esses, ut Iudæis & toti mundo omnem tollereres excusationem: ne quis postea dicere posset, se non audisse claram Christi confessionem, ut credere posset, esse ipsum Messiam. Quia ergo in hac quæstione vertebatur cardo salutis nostræ (hoc enim ab omnibus sciri & credi oportebat, qui salui esse vellent) confessus est se simul, licet cum manifesto vitæ suæ periculo, ob Romanorum & Iudæorum offensionem, & simul ipsum Pontificem pijsime in suo scelere instruxit, ut intra se respiciendo non iret sese perditum, sed miser ille & cæcus errare perrexit.

**E**Go vero credo mi Deus, credo te verum esse Messiam, qui venisti in hunc mundum, ut omnes saluos faceres, qui inuocant nomen sanctum tuum, Inuoco ego & agnosco te, mi Iesu, doce me ergo facere voluntatem tuam, & honorare superiores Ecclesiæ sanctæ tuæ & patrem tuum in cælis qui honorasti Pontificem in terris, iam suamet malitia exauthorandum, iniquum, & dycolum, ita ut ad petitionem eius responderes ei, quis esses, ut nos te cognosceremus filium Dei viuentis, & honorem patris tui æterni declarasti, ut nos doceres etiam cum vitæ periculo veritatem fidei non negare, sed defendere, cum ita ratio & necessitas iubet.

5. 98. *Veruntamen dico vobis à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. v. 64.*

Pergit confirmare quod dixit, rum ut clarior esset confessio suæ diuinitatis, & plenior malorum ludicum instructio, his verbis: *Veruntamen dico vobis &c.* quasi diceret: Videor nunc vobis de filio Dei nil prorsus habere, qui hic sto ante vos humiliatus nimis vinctus catenis, ab omnibus derelictus, irrisus, contemptus, vilis, pauper & inops: nolite tamen aspicere præsentem statum meum, sed aspiciate futurum: veniet enim tempus quo rursum me videbitis, sed in maiestate, non ut modo in humilitate, sedentem à dextris Dei, id est, parem cum Deo gloriam habentem; venientem item in nubibus